

23 (649.1) (04)

5

CONCLUSIONES  
THEOLOGICO-DOGMATICÆ  
DE QUÆSTIONE NOSTRA  
CANARIENSIS SEMINARIÏ CONCILIARIS  
THEOLOGICÆ THESES.



23 (10/1/01)

CANARIENSIS SEMINARIUM CONCILIARIS  
THEOLOGICAE THESIS



# CONCLUSIONES THEOLOGICO-DOGMA TICÆ

## DE CHRISTO SERVATORE NOSTRO.

### I.



In carnati Verbi mysterium Catholici profitentur, Judæi verò in sua cæcitate pertinacissimi promissum mundi Redemptorem advenisse pernegant; et hoc veræ Religionis, ac salutis fundamentum audacter respuunt, et conculcant. Ipsos tamen in meridiana luce cæcutire ex veteri testamento evincimus.

### II.

Quamvis Jacobi oraculum alio detorquere, et eludere Judæi conantur, illud, si attentè, et seriò rem perpendimus, Messiam designat, et vera fuit adimpletum.

### III.

In vaticinio etiam Jacobæo per *sceptrum* non sola regia, seu monarchica, sed quælibet suprema Reipublicæ administrandæ potestas; atque per Judam non sola hujus nominis Tribus, sed tota Judæorum natio cum aliqua tamen singulari tribus Judæ prærogativa est intelligenda.



## IV.

Danielis quoque vaticinium de Messia, non de alio quocumque intelligi debet.

## V.

Hebdomades septuaginta Danielis incohanda non videntur aut ab edicto Cyri anno ipsius regni primo; aut ab edicto Darii Hystaspis, aut ab eo quod tulit Artaxerxes anno regni septimo.

## VI.

Sed ab anno vigesimo Artaxerxis Longimani.

## VII.

Testimonium præterea Josephi de nostro Salvatore nobis verum, ac genuinum, nec ullas falsitatis, ac suppositionis notas præ se ferre videtur.

## VIII.

Prophetiæ apud Aggæum, et Malachiam circa templi secundi gloriam id ipsum contra Judæos validissime comprobant.

## IX.

Insuper Jesus Christus Mariæ filius est ille Messias toties in veteri Testamento promissus, et delineatus.

## X.

Præter Judæorum pervicaciam veræ Divini Verbi incarnationi bellum indixere nonnulli Christiani nominis professores, qui à veritatis semita declinantes impie somniarunt Christum habuisse æ-



reum, et umbratile corpus. Hujusmodi impietatis propagatores fuerunt præcipuè Valentinus, Simon, Basilides, ac Saturnini Discipuli. Contra horum deliramenta firmiter credendum est Christum Dominum verissimam carnem in utero Virginis Spiritus Sancti virtute procreatam assumpsisse.

## XI.

Quidam Athanasius Jacobitarum Patriarcha, ut refert S. Maximus, Monothelitarum impia fundamenta jecit negando, in Christo distinguendam esse divinam, humanamque voluntatem. Ex scripturis adeo luculenter catholica veritas de duplici in Christo voluntate enitescit, ut absque hæreseos nota nemo inficiari queat.

## XII.

Honorius I. Romanus Pontifex in suis ad Sergium epistolis nequaquam Monothelitis adhæsit; nec ullatenus attendendum est, quidquid adversus eundem Honorium, vel ex actis sextæ Synodi, vel aliundè depromitur.

## XIII.

Nestorius Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopus pestiferis imbutus erroribus negavit utique Verbum in unitatem Personæ humanam assumpsisse naturam. Hinc merito cum suis asseclis ab Ephesina Synodo fuit damnatus.



## XIV.

Joannes Antiochenus cum suis Orientalibus personæ dumtaxat Nestorii, non ejus errori adhæsit.

## XV.

Sanctissimus Antistes Cyrillus Alexandrinus præ cæteris Nestorii blasphemias avellere conatus est. Coegit adversus eum Synodum Alexandrinam, ipsumque redarguit, quod in errorem Apollinaris, et Arii impegerit. Hanc erroris insimulationem delere conati sunt Andreas Samosatensis, et Theodoretus Episcopus Cyri. Idcirco Sancti Cyrilli fidem integerrimam semper fuisse propugnamus.

## XVI.

Coæva ferè Nestorianæ, atque ex diametro opposita est hæresis Eutychetis. Is in vitam pacem inter Cyrillum, et Joannem Antiochenum suspectam habuit: incœpitque Orientales tamquam Nestorianos traducere; et quia duas propugnabant naturas, falso intulit duas ab his in Christo assertas personas. Quapropter ut unicam in Christo personam defenderet, duas naturas asseruit ita in incarnatione fuisse permixtas, ut licet antea diversæ fuerint, postea in unam transierint. Hinc in Synodo Chalcedonensi Eutyches jure merito fuit damnatus.



(5)

XVII.

Cæterum Christi satisfactionem è medio tollere studuerunt Faustus , et Lellius Socinus ; contra hæc tam portentosa errorum monstra Dei filium humanum genus propria sanguinis effusione redemisse affirmamus.

XVIII.

Christus verè meruit per eas ipsas actiones , quibus Deo pro nobis satisfecit.

XIX.

Christus sibi meruit gloriam corporis , nominis exaltationem , gentium cultum , et adorationem, Ecclesiæ suæ splendorem , firmitatem , propagationem.

XX.

In nostro autem Redemptore fuit sanctitas quædam naturalis ex sua cum Verbo Divino unione derivata.

XXI.

Hinc nullum unquam fuit , nec esse potuit in Christo peccatum ; idque non gratiæ tantum , sed naturæ vi unionis hypostaticæ , est referendum.

XXII.

Christus Dominus nulla ratione , nec sub ex-




pressa quidem humanitatis restrictione dici debet  
filius Dei adoptivus.

XVIII.

Christus homo est Caput Ecclesiae, hominum,  
Angelorum.

XXIV.

Humana denique Christi natura hypostaticè  
Verbo conjuncta, eadem, et unicâ cum Divinitate  
Verbi adoratione colenda est, atque veneranda.



Quas defendet *D. Io : Navarro* hujus Conciliaris Se-  
minarii Alumnus sub præsidio R. admodum *P. Fr. Do-*  
*minici Gordillo* Ord. S. Francisci Lect. Jub. et in lau-  
dato Seminario Primarii Theologiae Moderatoris.

Palestræ locus erit Seminarii Templum.

Dies verò *8 Martii* an. 1784.

XXI.

XXII.